

factum est provide, ac statutum, et deliberatione provida per predictum Episcopum tunc Legatum Sedis apostolice approbatum sicut in eorum autentis dicitur plenius contineri, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostre confirmationis infringere. Si quis autem &c. Datum Perusii X. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri Anno Tertio.

258.

1230 d. 25 Jan.

Perugia.

Påfv. GREGORIUS IX:s tillåtelse för Biskopen i Linköping, att, med undantag af vissa svårare fall, meddela aflösning åt dem, som förgripit sig på presterskapet.

B. 3: 22.

GREGORIUS episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . Episcopo lingacopensi salutem et apostolicam benedictionem Per tuas litteras nobis humiliter supplicasti. ut cum dyocesis tua sit in remotis partibus constituta nec de facili possent induci hij qui pro violenta manuum iniectione in clericos. inciderunt in canonem sentencie promulgate quatinus pro absolucionis beneficio ad sedem accedant apostolicam. obtinendo maris pericula. & viarum discrimina metuentes & defectum eciam expensarum. absoluendi tales iuxta formam ecclesie licenciam tibi concedere dignaremur. ne forte in dyaboli laqueum incidant & in infernum descendant. huiusmodj laqueo alligati Nos ergo de discrecione tua gerentes fiduciam pleniorern fraternitati tue presencium auctoritate concedimus quatinus subditis tuis sic in canonem late sentencie incidentibus dummodo non sit grauis & enormis excessus. propter quem merito sint ad sedem apostolicam transmittendi possis beneficium absolucionis impendere iuxta formam ecclesie consuetam & eisdem iniungere quod talibus consuevit iniungi jta quod passis iniuriam satisfaciant competenter & laborem itineris ad sedem apostolicam veniendi redimant per opera pietatis Datum perusij VIII Kal. februarij pontificatus nostri anno tercio.

259.

1231.

Konung KNUT JOHANSSONS gåfvobref till S:t Marie kyrka i Aros (Upsala?) på en tomt derstädes.

A. 3. a. 2: 1. *).

K. dei gracia rex sweorum. Omnibus salutem in perpetuum, Euanesceit actio temporalis nisi roboretur apicibus sigillatis. Nouerint igitur vni-

*) Efter en af Bisk. ISRAËL i Westerås 1314 bestyrkt afskrift, och åter A 3. a. 2: 2. i en af Ärkebisk. OLOF och Dom-Capitlet i Upsala vidimerad d. 4 Maj 1338.

uersi tam presentes quam posteri quod ecclesie sancte Marie de Aros in remissionem peccatorum nostrorum fundum infra duos vicos proximos ex vtraque parte dicte ecclesie. & ab amne usque ad fossatum iuxta pratum. ab omni seruitute liberum in subsidium persone memorate ecclesie contulimus in perpetuum possidendum. Testes hujus donacionis adfuerunt. Olawus archiepiscopus de vpsalia. Wlpho dux. Nicolaus sacerdos de vpsalia. Johannes de grimberghum. Laurencjus legifer de Tiundaland. Germundus legifer de Attundaland. Allo de vacsatunum. Quod ut ratum permaneat, & stabile perseueret, sigilli nostri munimine roboramus. Actum anno domini M^o.CC^o.XXX^o.I^o.

260.

1231 d. 9 Sept.

Riati.

Påfv. GREGORIUS IX:s förordnande för Biskoparne i Bergen och Stavanger, samt Abboten i Stanley, att sedan de till undersöknings anställande angående Norrske Konungen HÅKAN HÅKANSSONS val och förhållandet dervid, samt Rikets ställning, utsedde Ärke-Biskoparne i Lund och Nidaros, och Biskopen i Skara, under tiden med döden afgått, afsluta denna förrättning.

F. 1: 118. An. 5. Ep. 132.

Gregorius IX. Episcopis Bergensi et Stauengrensi nec non Abbati S. M. de Stanleja Ordinis Cisterciensis Rege Norvegiæ instante committit negotium Coronationis peragi iuxta mandatum datum ab Apostolica sede aliis Commissariis morte præventis.

Gregorius &c. Venerabilibus Fratribus . . . Bergensi et . . . Stauengrensi Episcopis, et dilectis filiis . . . Abbati S. Marie de Stanleia Cisterciensis Ordinis Salutem &c.

Cum Carissimus in Christo filius noster Norwagie Rex Illustris olim nobis pro coronatione sua humiliter supplicasset, Nos bone memorie . . Archiepiscopo Lundensi et . . . Scarensi Episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut super electione, condicione, ac statu persone Regis eiusdem, et Regni sui, aliisque circumstantiis universis, que ad ipsius promotionem, seu prosecutionem negotii necessaria esse videntur, diligenter inquirerent veritatem, et quicquid invenirent, suis nobis litteris fideliter intimarent, ut plenarie per eorum relationem instructi super hoc securius procedere valeremus. Sed cum postmodum ex parte Regis ipsius nostris fuisset auribus intimatum, quod iidem Archiepiscopus, et Episcopus in negotio non processerant morte preventi, Nos bone memorie Nidrosiensi Archiepiscopo, et tibi frater Bergensis Episcopo negotium ipsum iuxta prescriptam formam commisimus exequendum. Verum quia eodem Nidrosiensi sublato de medio, tu solus procedere nequivisti, prefatus Rex a nobis humiliter postulavit, ut super hoc procedi per te, ac per alios mandarem. Nos igi-